



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

Crombach, Hermann

Coloniæ, 1645

Caput 19. Officia diuina curat diligenter, ornat Ecclesiam, pietatemque
promouet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14591

ta familiaritate se obligabat, nec eorum
 priuilegia voluit infringere, vel subditos
 ab eorum sacris tribunalibus auertere,
 quin imò fundatores earum vel Patronos
 colebat ipse, festis eorum diebus læpiùs a-
 pud eos sacris operabatur: iisdem festis
 vota quandoque nuncupabat, vel testa-
 mentarias tabulas condebat, aut emen-
 dabat.

C A P V T XIX.

*Officia diuina curat diligenter, ornat Eccle-
 siam, pietatemq̄ promouet.*

CVM Psalmista regio diligebat decorem
 domus Dei, & locum habitationis eius,
 & tam Sacrum, quoties canendum esset,
 quàm officia reliqua diuina, curabat, vt
 distinctè, articulatè, religiosè, augustèq̄;
 cum præsentium pietate peragerentur,
 talesq̄e sibi vel Vicarios sufficiebat, vel
 Diaconos, Subdiaconosq̄e adsciscebat,
 quos vultùs modestia, morum maturitas,
 & cultùs diuini reuerentia maximè com-
 mendabat. Quoties Aedituus vel alij Mi-
 nistri Ecclesiæ noui eligendi essent, nul-
 lius amici rogatu, vel alterius minùs si-
 cere affectus studio se abduci patiebatur,
 quin

quin ex omnibus officij candidatis (quorum plurimos proponi sibi peroptabat) eum assumeret, quem maximè iudicaret ad id munus idoneum, & cultus diuini propagatorem præcipuum.

Aram Principem, Pedem eius, Cancel-
 los ligneos, suis ferè curauit sumptibus o-
 pere firmo & eleganti. A Dominis Æ-
 dilibus Doctore Henrico Oekhofen Ec-
 clesie Metropolitanæ Colon. Syndico,
 & Ioanne Kinchio Senatore & Bibliopola
 familiarissimis intimis suis, quibuscum
 ferè omnia consilia sua communicabat,
 statuas faberrimas Deiparæ Virginis & S.
 Huberti Patroni; ab amicis alijs orna-
 menta varia impetrauit. Ipso Pastore al-
 taria pallijs pretiosis vestita, sacra supellex
 ciborio calicibusq; aucta, vestes Sacerdo-
 tales è tela præstantissima elaboratæ. Nec
 minùs ornatùs quàm munditiæ fuit stu-
 diosus, lineam altaris supellectilem lau-
 tam & elegantem requirebat indicem pu-
 ritatis animi, quam in hominibus sacrâ
 Synaxi reficiendis Deus exigit. Ob hanc
 instrumenti sacri & altarium nitorem &
 elegantiam libenter & ipsi Metropoli-
 tani Collegæ in ea Parœcia faciebant.

*Aræ Prin-
cipem
construit.*

*auget sa-
cræ su-
pellectilæ.*

*curat mû-
ditiam.*

D

An-

Anno 1625. die Paschatis eodem loci Illustrissimus Nuncius Apostolicus Episcopus Tricariensis, cantato solenni Sacro, Parochianos omnes sacra refecit Synaxi. Eodem anno D. Virginis Mariæ cognatam Elisabeth visitantis festo die R. D. Ioannes Horstius auunculus Jacobi Iubileum ibidem celebrauit, quod ipse insigni symphoniâ vocum, neruorumque concentu concrepante cohonestauit. Ad hæc quoties 40. horarum Oratio ibidem indicebatur, præter diuersarum familiarum Religiosos ibi Sacra factitantes, Illustræ etiam Canonici Metropolitanæ ob insignem Diuini cultûs Maiestatem eo confluebant: nam ipse Jacobi aspectus, cantus, & diuinorum mysteriorum administratio, præsentibus afflare pietatem, & inflammare mentis ardorem videbatur.

C A P V T XX.

*Studium piè canendi vel dicendi Horas,
orandi voce vel mente.*

Æ Gerrimè ferebat præcipitem & nimia celeritate concitatum cantum Vigiliarum, vt satis in libris varijs & testamento suo